

bonum. Sperne ergò voluptates; Nocet enim empta dolore voluptas.

XIX. Nec animi etiam voluptas per se planè ἀπρακ-  
τῶς, id quod quærimus est summum hominis bonum, suâ  
naturâ maximè & perpetuò ἐνεργητικόν; sed tantum affe-  
ctio, vel proprium & perpetuum accidens illius.

XX. Nec honor summum potest esse bonum. Nam  
quamvis ambitiosa sit hæc ætas mundi, tamen Cæsar cum  
pompa, Alexander cum sceptro cecidit. Rectè ille: Re-  
gnabo, regno, regnavi, sum sine regno; lubrica est scala  
fortunæ, & Comes regni semper invidia est, quo altius  
scandis, eò gravius cadis.

XXI. Præterea honor, inquit Philosophus, non est  
in eo qui honore dignus est, sed in honorante. At S. B. est  
in ipso beato. E.

XXII. Nec in solo virtutis habitu hominis consistit  
εὐδαιμονία, cum virtus, utpote habitus, possit esse ociosa;  
summum bonum verò in actione καὶ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ totum  
versetur. Eth. N. c. 5.

XXIII. Insuper Divitiæ, quæ ut mera instrumenta  
tantum propter aliud appetuntur, & sæpius latrociniis, ali-  
isvè injusticiæ modis parantur, à natura summi boni sunt  
alienissimæ.

XXIV. Deniq; communis omnium bonorum Idea  
felicitas hominis constitui non potest: quia nulla est sepa-  
rata à singularibus. Nec si esset, quicquam faceret ad civi-  
lem de qua loquimur, felicitatem, & benèvivendi ratio-  
nem 1. Eth. N. 6.

XXV. Sed hæc breviter de ea quæstionis parte, Quid  
non sit S. B. sufficient: Nunc sequitur, ut Quid ipsum sit,  
patefaciamus. Quia verò τὸ τί ἐστὶ ex definitione elucescit  
lib. 2. post. Anal. c. 3. t. 2. Duplex autem definiendi genus  
est; ὀνομαστικῶδες nominale unum; alterum ὀσιῶδες Essentia-  
le lib.